



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CLXXII. Der Bischof Johann verkauft eine Hufe in Knobloch und das Recht eine eigene Schäferei zu halten an die Pfarre daselbst, am 22. April 1318.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CLXXI. Der Markgraf Woldemar verschenkt an das Domcapitel das Patronatsrecht der Kirche zu Markow und Marke zum Gedächtniß seines Schwestersohns des Markgrafen Johann, am 21. Februar 1318.

— nos Woldemarus, dei gratia Brandenburgensis et Lusacie marchio — honorabilibus viris preposito, priori totique capitulo ecclesie Brandenburgensis dedimus et per presentes literas liberaliter et propter deum donamus jus patronatus ecclesie villarum Markowe et Marke de perpetuo possidendum, ita, quod predictae Brandenburgensis ecclesie prepositus suo et ecclesie sue nomine predictam ecclesiam in Markowe et Marke de locare aut facere officari per unum sacerdotem de eorum capitulo poterit, ut magis expedire videbitur, pro sue bene placito voluntatis, renunciante simpliciter in presenti litera juri patronatus predictarum villarum ecclesie pro nobis ex nunc et in perpetuum, et pro nostris heredibus atque successoribus, quod in dicta ecclesia hactenus dinoscimur habuisse aut possit competere in futurum. Proinde predicti prepositus, prior et capitulum, ut arbitrati sunt, nostri ac fororii nostri Johannis, quondam de Brandeborch marchionis, bone memorie, memoriam peragent sempiternam. Et ne super hujusmodi nostra donatione per nos rite facta aliquibus in posterum dubium valeat suboriri, presentes literas desuper scribi iussimus et nostri sigilli robore communiri. Testes hujus sunt nostri fideles: Henricus Stendalensis ecclesie decanus, Everardus in Stolpe prepositus, capellani, Redeko de Redere marescalcus, Mathias de Bredowe, Henningus de Vorlant et Buffo de Mylowe, milites, cum aliis pluribus fide dignis. Datum et actum in Spandowe anno domini millesimo trecentesimo decimo octavo, in vigilia cathedre sancti Petri apostoli.

Nach dem Originale.

CLXXII. Der Bischof Johann verkauft eine Hufe in Knobloch und das Recht eine eigene Schäferei zu halten an die Pfarre daselbst, am 22. April 1318.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Nos Johannes dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus, omnibus in perpetuum. Cum multotiens actus legitimi, propter diversos casus, qui rebus humanis incident, immutentur, expedit, gesta hominum linguis testium ydoneis et scriptis autentis eternare. Ad notitiam igitur univerforum tam presentis quam futuri temporis deducimus per presentes, quod de consensu capituli Brandenburgensis domino Hinrico, rectori ecclesie Clebeloc, vendidimus unum mansum in agris ville Clebelok situm et aream ad predictum mansum pertinentem cum hereditate et proprietate ejusdem mansi et aree et cum omni juris integritate proprietatis ac hereditatis titulo quiete et pacifice perpetuis temporibus possidendum, eo modo, quod iste mansus et area uniantur aliis duobus mansis prius jam dicte ecclesie adjacentibus, per quos ecclesia primitus est dotata, ita videlicet quod predicta ecclesia Clebeloc de cetero tribus mansis in equali libertate dotata censeatur cum adjectione aree memorate, abrenunciante universo juri, quod hactenus habuimus, tam in manso quam in area supradictis, ita quod nichil juris aut proprietatis vendicabimus nobis in eisdem. Proinde persolvit nobis dominus Hinricus predictus viginti quatuor marcas argenti et ponderis Stendaliensis, quas in usum ecclesie nostre dinoscimur convertisse. Ceterum rectori predictae ecclesie Clebeloc, qui pro tempore fuerit a preposito sive a capitulo institutus, pie indulsumus, ut

Hauptst. I. Bd. VIII.

possit habere pastorem et gregem ovium divisum ab ovibus aliorum et sine contradictione qualibet villanorum. De manso vero sepedicto a nobis sic empto successor predicti domini Hinrici, qui pro tempore rector extiterit ecclesie memorate, singulis annis talentum denariorum Brandenburgensi capitulo erogabit. Conventus in anniversario domini Hinrici jam dicti longas vigiliis, missam et commendationem sollempnem, sicut mos est in anniversario fieri, sollempniter decantabit, memoriam faciens ipsius domini Hinrici sepedicti. Ut igitur nostra hec venditio a nostris successoribus non possit irritari, presentes litteras in evidens testimonium conscribi iussimus et tam nostri quam capituli nostri sigillorum appensione fecimus communiri. Hujus rei testes sunt Johannes, prepositus ecclesie Brandenburgensis, Walterus plebanus veteris civitatis, Cristianus, plebanus nove civitatis Brandenburgensis, Nicolaus plebanus in Nawan, Hinricus plebanus in Cotfin, canonici ecclesie Brandenburgensis, Hinricus Wpac miles, Arnoldus marscalcus noster, Rodolfus de Clebeloc et alii quam plures. Actum et datum Brandenburg, anno domini M. CCC°. XVIII. in vigilia Pasche.

Nach dem Originale.

CLXXIII. Der Markgraf Woldemar verkauft dem Domkapitel eine Wiese bei der Hohen Warde bei Klein-Kreuz, am 22. Jan. 1319.

— Nos Woldemarus, dei gratia Brandenburgensis et Lusacie marchio, — habita matura deliberatione honorabilibus viris dominis preposito et capitulo ecclesie Brandenburgensis vendidimus iusto contractu venditionis et presentibus literis vendimus pratum, situm prope Hohen Warde, cum omni fructu et jure, sicut nos et nostri antecessores ipsum habuimus, cum universis suis limitibus iusto proprietatis titulo perpetuis temporibus pacifice possidendum, renunciantes dicto prato, proprietati ejusdem et universis juribus, quod nobis competit vel posset ex quacunque causa competere in futurum, nichil juris nobis ad dictum pratum vel nostris successoribus reservantes. Proinde dicti prepositus et capitulum nobis dederunt et plene in numerata pecunia persolverunt septuaginta talenta denariorum Brandenburgensium, de quibus dicimus ipsos quitos literas per presentes. Et ne de hoc facto apud aliquos dubium oriat, has litteras nostras nostro sigillo sigillatas cum annotatione subscriptorum testium dari iussimus super eo. Testes vero hii sunt: nobilis vir Guntherus, comes de Keverenberg, droyseco, Mathias de Bredow, milites, Henricus ecclesie Stendalensis quondam decanus, Everardus prepositus Stolpensis, Nicolaus prepositus Bernowensis, et Hermannus de Luchowe, nostri capellani, cum pluribus aliis fide dignis. Datum Bornewitz, anno domini M°. CCC°. decimo nono, die sancti Vincentii.

Nach dem Originale.

CLXXIV. Der Markgraf Woldemar verkauft dem Domkapitel eine Insel bei der Neustadt Brandenburg, am 14. Mai 1319.

— Nos Woldemarus, dei gratia Brandenburgensis et Lusacie marchio — habita deliberatione matura vendidimus, debito et sollempni venditionis contractu honorabilibus viris dominis Johanni pre-